

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Christophori Cellarii Compendium Antiquitatum
Romanorum**

Cellarius, Christoph

Halae Magdeburgicae, 1774

VD18 10161015

Sect. IV. De Communicatione Civitatis In Provinciis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17085

eiusmodi mala recurrerent. Recurrerunt autem omnino sub Tiberio, Caligula, Nerone, Domitiano, ut denuo Nerua & Traianus necesse habuerint, nouis legibus ac priuilegiis reipublicæ consulere. Tum institutum fuit ius trium liberorum, qui minimus numerus est, non exclusis, qui liberos habebant plures. Ampliora autem priuilegia his, qui liberos reipublicæ educabant, concessa fuerunt, præsertim circa hereditates, quam iis, qui uiuebant in cælibatu, aut sterili matrimonio. Principi tamen licuit, aliquando singulari clementia eos etiam, quibus morte erepti fuerant, aut sterilitate matrimonii laborabant, pares facere parentibus multorum liberorum. Hæc clare traduntur a PLINIO *lib. II. ep. 13. num. 8.* ubi *notas nostras adde, & lib. VII. ep. 16. num. 2.* itidem cum *notis nostris, & lib. X. ep. 2. ineunte, & ep. 95. num. 2.* Adde responſionem Traiani *ep. 96. n)*

S E C T. IV.

DE COMMVNICATIONE CIVITATIS IN PROVINCIIS. o)

§. I.

SUCCESSV temporis migravit etiam ciuitas in prouincias. Galliæ cisalpinæ, præsertim cis-pada-

n) Reliquæ ciuitates, quæ neque ad municipiorum, neque ad coloniarum, aut præfecturarum ordinem pertinebant, *foederatæ* dictæ sunt.

o) De hoc argumento iam supra quædam obseruauimus, ex quibus auctor noster commode suppleri potest.

padanæ (nam Gallia italica in prouinciis censebatur usque ad Augusti tempora) data ciuitas post Italiam, teste STRABONE *lib. V. ineunte*. Transpadanæ primo datum ius Latii; Iulius autem Cæsar addidit ciuitatem: DIO CASSIUS *lib. XLI. p. 170.* & ASCONIUS *in Pisonianam*. Hinc Gallia illa cisalpina a vestitu romano dicta fuit *togata*.

§. II.

A Iulii Cæsaris temporibus ius ciuitatis romanæ etiam prouincialibus extra Italiam dari, cœptum est: Gallis præsertim, Hispanis & aliis; nec vero integris prouinciis, sed singulis hominibus, aut oppidis de Cæsare bene merentibus: SVETONIUS *in Cæsare cap. XXIV. & XLII.* Plura ex inscriptionibus de Hispanorum municipiis adferri possunt. Sic vsque ad Antoninorum tempora ciuitas pluribus in diuersis prouinciis fuit concessa, quibusdam tantum ius Italiæ, vt adparet ex *leg. L. digest. tit. 15. de censibus*.

§. III.

Tandem *leg. XVII. digest. de statu hominum* VLPPIANVS: *in orbe, inquit, romano qui sunt, ex constitutione Antonini ciues romani effecti sunt*. Disputari solet: quis ille Antoninus fuerit. Quidam Pium intelligunt: alii Marcum. Sed' verior sententia, esse Antoninum Caracallam, quia hæc constitutio non vt beneficium lata est, sed vt fiscus augeretur, & pater ipsius Seuerus dicitur apud Spartianum *cap. I. natus ante ciuitatem omnibus datam*.

§. IV.

Nihilominus post Caracallam etiam memorantur nonnunquam in prouinciis mansisse iuris italicæ,

lici, quod arguit, vel mutatam fuisse Caracallæ constitutionem, vel a quibusdam non acceptum illud Antonini privilegium, contentis veteri, quo utebantur, iure Italiæ, quod immunitatem dabat, suffragia negabat & honores in vrbe capiendos.

SECT. V.

DE IVRE PROVINCIVM.

CAP. I.

DE ADPELLATIONE PROVINCIVM.

§. I.

A vincendo dicuntur provinciæ, quia bello ad-
quisitæ erant, siue, vt FESTVS loquitur, e po-
pulo romano provinciæ, id est, ante victæ. p)

§. II.

p) ISIDORVS orig. lib. XIV. cap. 5: *provincia ex causa, inquit, vocabulum acceperunt. Principatus namque gentium, quæ ad alios reges pertinebant, quum in ius suum Romani vincendo redigerent, procul positas regiones provincias adpellarunt.* Conditio eorum ex iure provinciali, quod alias *forma & formula provincie* dicitur, æstimanda est. Quum vero leges provinciarum, a senatu, postquam imperator eas subegerat, promulgatæ, iniquiores ac duriores fuerunt, quam quæ Latio atque Italiæ datæ erant; facile ex eo patet, earum quoque statum deteriorem ac miseriorem fuisse, quam Latino- rum atque Itolorum. Provinciarum omnium ratio in eo conueniebat, vt non suis, sed Romanis legibus ac magistratibus vterentur, & vectigalia pendere deberent: conf. CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. provinc. lib. I. cap. I.* GUID. PANCIROLLVS *notit. dignit. imper-*